



# The Holy See

---

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **BARQUISIMETENSIS - VALENTINAE IN VENEZUELA**

**(S. PHILIPPI IN VENETIOLA)** \* QUAEDAM TERRITORIA AB ECCLESIIS BARQUISIMETENSI ATQUE VALENTINA

IN VENEZUELA DETRAHUNTUR, QUIBUS NOVA DIOECESIS CONDITUR,

«S. PHILIPPI IN VENETIOLA» APPELLANDA. Ex quo tempore edita illa Christi Domini vox: «Pasce agnos meos ... pasce oves meas» (Io., 21, 15-17) Petrum iussit principem apostolorum cuncti christiani gregis curam suscipere, ex eorum Petrus ipse, tum omnes per hominum aetates Summi Pontifices nihil cogitare, nihil struere, nihil moliri umquam, quod non ad conservationem, incrementum, propagationem sanctissimae fidei nostrae in gentibus respiceret, aut non ad aeternam christianorum salutem conduceret. Qua Nos acti sollicitudine, existimavimus profecto bonum esse, si in Venetiolana Republica, ut venerabilis Frater Aloisius Dadaglio, Archiepiscopus titulo Leriensis atque in ea Natione Apostolicus Nuntius, censuit, nova dioecesis in Statu, quem dicunt, Yaracuy, conderetur. Itaque, iis auditis sacris Praesulibus, locorum Ordinariis, quos oporteret, haec iubemus. Ab Ecclesiis Barquisimetensi atque Valentina in Venezuela id territorii detrahimus, quod in eas Ecclesias protenditur, quodque Statu Naracuy comprehenditur, novamque ex eo dioecesim constituimus, *Sancti Philippi in Venetiola* appellandam, iisdemque finibus terminandam atque idem Status Yaracuy. Caput dioecesis urbs erit quam populus «San Felipe» cognominat, in qua Episcopus commorabitur, cathedra episcopalis dignitatis atque auctoritatis in sacra aede B. M. V. in templo praesentatae collocata, quam, utpote cathedralem, iuribus debitis instruimus. Nova Ecclesia archidioecesi metropolitanae Barquisimetensi subiecta erit tamquam suffraganea; item eius Antistes eidem sacro Metropolitanae obnoxius. Mensa tum populi collationibus efficietur, tum bonis quae adhuc propria erant Ecclesiarum Barquisimetensis et Valentinae in Venezuela, pro rata parte, tum denique Curiae emolumentis. Seminarium construatur, pueris excipiendis ad sacerdotium a Deo vocatis, cuius regimen ad normam Iuris Canonici temperetur atque ad leges Sacrae Congregationis de Seminariis atque Studiorum Universitatibus. Cum vero iuvenes adoleverint, tum qui optimi fuerint Romam mittantur in Pontificium Collegium Pianum Latinum Americanum philosophia ac sacra theologia imbuendi. His Litteris ad effectum deductis, sacerdotes ei Sedi addicantur in qua beneficium habeant; clerici vero Seminarii que tirones ei, in qua legitime degant. Acta denique et documenta quae ad novam Ecclesiam respiciant, ad eam cito mittantur, ibique religiose custodiantur. Ceterum, haec quae mandavimus, venerabilis Frater

Aloisius Dadaglio, quem memoravimus, exsequi studeat sive per se ipse, sive per alium, quem voluerit. Re vero acta, documenta exarentur, quorum exempla sincere conscripta ad Sacram Congregationem Consistorialem mittantur.

Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si ostenderetur.

*Datum Romae, apud S. Petrum, die septimo mensis Octobris, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri quarto.*

IACOBUS A. card. COPELLO S. R. E. Cancellarius	CAROLUS card. CONFALONIERI S. Congr. Consist. Pro-Praefectus
---	---

Franciscus Tinello  
*Apostolicam Cancellariam Regens*

Sylvius Romani, *Proton. Apost.*  
Eugenius Sevi, *Proton. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 3, pp. 210-212

© Copyright 1966 - Libreria Editrice Vaticana

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana